

S. c. 268

900 Uhr.

J. VII, 891.

~~*III 40 J. II. 13*~~

+

12 13

COMMENTATIONIS
DE
I N E R T I A
PARS PRIOR

QVAM
AVCTORITATE
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
PRAESIDE
D. IOANNE ANDREA DE SEGNER
SERENISS. AC POTENTISS. REGI A CONSIL. INTIM.
MATHEMAT. AC PHILOS. NATVR. IN ACAD. FRIDERIC.
PROFESSORE PRIMARIO
ACADEM. SCIENT. IMPERIAL. PETROPOLIT. SOCIET. REG.
LOND. ET ACAD. SCIENT. REGIAE BEROL.
SODALI
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
DIE IIII MAII C^{CC}I^CCC^LXXII
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
LEOPOLD HERMANN
DESSAVIA-ANHALTINVS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.



COMMITTATI ET

A L T R I N G

PARS PRIOR

674

VACUATATI ET

AMPISSIMI ORDINIS PHILOSOPHIC

PARVUS IDE

D. IOANNES ANDREAS DE SEGNER

ETRINIS ACQUERENTIAE A COMMUNI INTIT

MAMMATA DE CHIRIO MATTA IN AGAM TRIBUS

PROLUSORUM TITULIS

ACADEMI SCIENTIARUM IMPERATORIACORPORALIS SE

PODIUM DE ACAD SCIENTIARUM IMPERATORIACORPORALIS

ACADEMI SCIENTIARUM IMPERATORIACORPORALIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

ACADEMI SCIENTIARUM IMPERATORIACORPORALIS


DET 1711 MARCH 2013 CCCCXXII


SCIENTIAE DEDICANT

ACUTOR

LUDOVICO HERMANNI

ACADEMI SCIENTIARUM IMPERATORIACORPORALIS











Motus vocabulo cum multum usi sint veteres Philosophi, quem ei significatum subiecerint, non facile est dicere. Non enim corporibus solis motus tribuerunt, sed animis quoque et aliis praeterea rebus, quibus parum cum corporibus commune est, vel omnino nihil. Quamlibet in genere mutationem non rerum tantum, sed eorum etiam, quae sola mente comprehenduntur, quamvis non existant, motum dixisse videntur.

A 2

§. II.

§. II.

Restrinxit generalem nimis ac fere vagum significatum ARISTOTELES, reliquis in definiendo plerumque attentior, qui Metaphysicorum Lib. XI, cap. XI. motum esse statuit *Actum eius, quod potentia est, prout tale est:* vt cum ex aere, quod quidem statua non est, potest autem esse statua, haec actu conflatur; vel ex lapidibus et reliqua materie struitur domus. Has mutationes, dum contingunt in rebus vere existentibus, *Motus* vocat, non antequam contingent, licet sint possibles. Reliqua, quae alii Motus notione simul complexi sunt, ab ea excludit: vt, cum motum etiam non entibus tribuerunt, et alia constituerunt motuum genera, mihi quidem parum perspecta.

§. III.

Id innuere videtur SEXTVS EMPYRICVS aduersus Mathematicos scribens, *plures duplē motū relinquere in summavnum mutationis, alterum transitus.* Tres enim motus species idem constituit ARISTOTELES Physicorum Lib. VII, cap. II, primum, qui secundum *locum;* alterum, qui secundum *quale;* tertium qui secundum *quantum:* quorum motuum illum *lationem* dicit, hunc *alterationem,* istum *augmentationem* vel *diminutionem.* Is autem, quem SEXTVS motū transitus dicit, cum latio sit, motus mutationis alterationem cum augmentatione vel imminutione apte comprehendit.

§. III.

§. III.

Confusam autem istam motus notionem, quam reformatre studuit Aristoteles, ineptis quaestib; locum dedisse atque sententiarum peperisse diuortia, mirandum non est. Enumerantur haec ab eodem **SEXTO EMPYRICO** Hypotypof. Lib. III, c. 7. vbi, tres, inquit, *ni fallor, fuerunt omnium antiquissimae de motu inter se discrepantes opiniones.* Nam *Bias et aliqui Philosophi esse motum existimant: at Parmenides et Melissus et alii quidam negant.* Sceptici vero non magis esse motum, quam non esse, dixerunt. Et aduersus Mathematicos: sciendum est, tres ad summum fuisse sectas de motu. Nam alii quidem dicunt, esse Motum; alii vero, non esse: alii autem, non magis esse, quam non esse. Et esse quidem et Bias, attendens ad ea, quae cernuntur, et complures ex *Physicis*, ut Pythagoras, Empedocles et Anaxagoras, Democritusque et Epicurus: quorum sententiae subscripterunt Peripatetici et Stoici, atque alii permulti. Non esse autem Parmenides et Melissus, quos Aristoteles vocat *Statarios et Aphysicos*.

§. V.

Vltima harum sententiarum, licet absconsa videri possit, hoc nomine a **Sexto** adlata non est, qui eam suae lectae hominibus tribuit. Non iam vacat quaerere de vero aenigmatis sensu. Si autem ad eum motum respexerunt Pyrrhonici, quem hodie relativum dicimus, verum vtique est, idem corpus et moueri dici posse et quiescere, et hoc vel illo modo moueri, mutatis iis solis,

A 3

ad

ad quae eius motus refertur: quemadmodum Astronomi solem
oriri atque occidere non minus vere dicunt, quam eum apud
commune centrum grauitatis Systematis nostri Planetarii tantum
non quiescere.

§. VI. UT ETIAM RUBEO DICO ET MIHI

Eorum autem sententiam, qui Motum negarunt, qui de
aliis generibus motuum intelligi debere suspicantur, non de eo,
quem Aristoteles motum lationis dicit, nos localem vocamus,
benigne magis, quam vere iudicant. Id cum ex eo cognosci
possit, quod refertur de Diogene Cynico, eum, negante quodam
motum, satis habuisse, surgentem ambulare: clarissime patet ex
iis locis Aristotelis, quibus dogmata Zenonis Eleatis, motum
adeo negantis, ut, immobilem esse sagittam, quae ferrur, dice-
ret, data opera conuelli; ad quae pertinet caput IX. Libri VI.
Physicorum, quo singulas hominis probationes, quae difficulta-
tem praebere soluentibus possent, expendit. Est inter eas Achilles,
nostro quoque aeuo celebre sophisma, cuius concludendi vis
in eo est, ut, si sit motus, corpus tardius motum attingi non possit a
celeriori id persequente: quia scilicet attingi non ante potest, quam
atingatur. Eo enim postremo res omnis redit.

§. VII. UT ETIAM RUBEO DICO ET MIHI

Dubitari non potest, perpaucos fuisse, qui leuibus adeo
momentis eo possent perduci, ut motum negarent, eum po-
tissimum, qui sit secundum locum; quem communem maxime
et

et maxime proprium cum etiam Aristoteles dicat; nostri aeui Philosophi, vbi circumscripte loquuntur, solum motus nomine insigniunt; quod et nos faciemus, quae praeterea hac voce complexi sunt veteres, seponentes. Hunc motum qui retinuerunt, vbi abstractos eius conceptus corporibus ipsis applicare conati sunt, ipsis quoque sententias induxere maxime diuersas, quarum eas, quae pertinent ad illustrationem dogmatis, cuius declaratio nobis proposita est, breuiter attingemus.

§. VIII.

Si de motus initio agatur, qui ante nullus fuit, conuenit inter omnes, nullum corpus sine caussa moueri; vel temere et casu quodam ex quiete in motum transfire: neque enim nuper demum repertum est, ex nihilo nihil fieri. Atque caussae, quibus corpora in motum concitantur plerumque satis sunt manifestae, ita certe, ut quaelibet ad genus suum referri a nobis possit, a reliquis omnibus distinctum. Cum enim et arbitrio animalis viui motus in corpore produci possit, et actione gravitatis et pressione vel impulsu alius corporis, siue solidum id sit, siue fluidum et magnetismo aut vi alia nobis minus perspecta; cui harum caussarum debeatur motuum productorum quilibet, plerumque non dubitamus. Verum, caussa motus cuiusvis, quaecunque fuit, vbi agere cessat, non tamen simul cessat motus ab ea productus. Id omnino ita se habet; quamvis motum, ea actione, qua primum productus est cessante, nihilominus perseverare, clarissi-

ap-

appareat, vbi is celerior est, quam vbi tardior. Labitur homo, vehementi cursu incitatus, simulatque pedem offendit aliquid; qui vero naui vel curru vehitur paullo celerius, his subito requiescentibus excutitur, nisi caueat, motu contrario sibi inducto: globus ex alto delapsus in solo procurrir, motu a grauitate impresso, antequam solum attigit; lapis autem manu proiectus, vel funda, aut glans plumbea vi nitri ex tubo excussa, ab hac motus sui origine longissime recedunt.

§. VIII.

Non quaerit perseuerantiae huius cauissam E P I C V R V S: fortasse nec reliqui Philosophi quaesuerunt, qui maximam spatii partem a corporibus vacuam esse, agnouerunt. T. L V C R E T I V S C A R V S, tantum abest, ut corpus in vacuo moueri posse neget, vt potius motu ad probandum vacuum vtatur Libro de natura rerum I. plane persuasus, motum omnino nullum fore, si omnia plena sint. Eo autem ciudem libri loco, quo vniuersum in infinitum patere neque terminis vllis circumscriptum esse probat, pro concessu vtitur, telum in vacuum impulsu moueri debere: sin minus obediatur manu id iacenti, aliquid obstat concludit, atque adeo spatium inane non esse. In vacuo igitur cum nihil omnino sit, quod corpus vehere vel porro propellere possit, sequitur utique, hos Philosophos, quod motum durare facit, ipsis corporibus motis inesse credere, atque ad corporis naturam pertinere, vt non magis de eo quaerendum sit, quam dispu-

disputamus, cur extensum sit corpus, cur omne ex spatio, quod occupauit, excludat corpus aliud; cur tangi possit atque tangere.

§. X.

ARISTOTELES autem viam huic prorsus oppositam ingreditur. Tantum abest, ut concedat, nisi sit vacuum, motum esse non posse, ut potius probatum eat, non posse moueri quidquam, si sit vacuum, physicorum Lib. IV. cap. VIII. Et motum quidem illum aeternum, quo Epicurus cum Democrito atomos omnes secundum rectas inuicem parallelas in infinito ferri dixit, recte refellit eo, quod ratio nulla est, cur versus hanc potius partem eant, quam versus quamlibet aliam. Quod autem ad proiecta attinet, haec ubi ab impellente non amplius attinguntur, moueri ait *vel per id, quod dicitur antiperistasis, vel quod ea impellat aer, cuius celeritas maior sit celeritate proiectionis*. Horum ergo cum in vacuo nihil sit, concludit, neque motum, quo impulsum ab impellente recedit, in vacuo esse posse. Quidquid est antiperistasis, ac quomodo cuncte corpora, id ambientia, cuius motum conseruare ponuntur, in hoc concipiuntur agere; appareat in his corporibus causam quaeri conseruati illius motus, cessatur aliquin simulatque impulsum ab impellente contingi desit. Atque non per ipsam corporis naturam motum ei impressum conseruari, sed causa alia ad id opus esse Philosophus adeo sibi habuit persuasum, ut, quod ex illa doctrina sequitur, corpus in vacuo

B

im-

impulsum perpetuo moueri debere, pro absurdo haberet. Ita enim paulo post motum in vacuo alio argumento destructurus ratiocinatur; *Corpus in vacuo motum non sifletur, quia nulla ratio est, cur apud hoc potius punctum sifletur, quam apud aliud;* cuius argumenti, si concedatur perpetuus ille motus, nulla plane vis est.

§. XI.

Eandem sententiam ARISTOTELES Phis. Lib VIII. cap. X. data opera declarat, ut dubitari non possit, eius mentem esse motum in corpore proiecto per repetitos medii ambientis impulsus continuari, mox cessaturum, si impulsus illi cessent vel nimis euadant languidi. Quare et ab vniuersa Peripateticorum secta haec sententia recepta est, et nunc quoque colitur, non ab ea solum, sed et a multis aliis, qui seclatores Aristotelis dici nolunt; verum ab his sere per oscitantiam. Est enim a GALILEO iis argumentis cuersa, quibus expensis non magis resistere possit aliquis, quam resistere potuit Simplicius peripateticus, qui in dialogis Viri de systemate Cosmico inducitur pro disciplina sua disputans. Atque hunc primum nouimus Geometrarum, qui veris notionibus vsus sit, ad explicandos motus a grauitate pendentes, argumenta autem, a motibus petita, quibus aduersus motum terrae cum reliquis disputauit PTOLEMEVS, destruenda, et quae sunt huius generis alia, ob quae Galilaeus inter primos scientiae naturalis verae conditores merito refertur. Sumit vbique motum a quacunque causa corpori inductum manere, ita quidem

ut, si nouus eidem corpori motus imprimatur, dici possit et prior ille et nouus iste quodammodo illi inesse. Hanc rationem ad fert cur lapis, qui nobis in terrae superficie quiescere videtur, re uera autem cum reliquis, quae eius superficie adhaerent, inter quae sumus nos quoque, rapidissimo motu fertur, secundum lin eam verticalem in altum proiectus, verricibus nostris semper immineat, in verticali illa linea, quae nobis quiescere videtur, adscendens primum, dein deorsum labens et quae sunt alia eiusmodi per impulsum fluidi aut antiperistasis quamcumque nunquam apte declaranda, quae in dialogis illis nemo sine voluptate legit. Non quaerit, quae cauſa sit motum corporum ita conseruans: utitur manifesto, quo ad motus traducto, qui secundum curuam fiunt, hos continuam require actionem alicuius cauſae, corpus motum impellentis aut trahentis, qua cessante mox fiant rectilinei, ostendit; eoque omnis de motu curuilineo tractationis fundamenta ponit.

§. XII.

Discere haec a Galilaeo potuit K E P L E R V S , vir ad leges eas, quibus corpora celestia mouentur, summo ingenio, labore autem vix credibili detegendas natus, si discere ab alio voluit, quod facile ipse reperire poterat. Dicitur autem id, quo status corporis conseruatur, siue motus is sit, quo fertur secundum lin eam rectam, siue quies, primus designasse nomine *vis inertiae*, quo melius ab iis, quae in motus corporum praeterea influunt,

distinguieretur. Conceperat autem complura eiusmodi, ut pote qui, teste GASSENDO, et soli animam tribuebat, quae eum rotaret, irradiando autem moueret planetas; terrae autem aliquid inesse suspicaretur, muscularis nostris, quoad effectus, simile, et quae sunt alia magnetismi, sympathiarum, sensus etiam et horroris figmenta, quae BAYLIUS in dictionarium suum intulit.

§. XIII.

Quamquam vis inertiae vocabulo non vtitur RENATUS DES CARTES in Principiis Philosophiae, ubi quidem rem ipsam, quatenus sibi perspecta fuit, clare exponit; eum tamen hanc vocem in variis Epistolarum locis adhibuisse, eique duplum tribuisse vim, inuenimus. Sub Inertia enim primo intelligit tarditatem quandam naturalem seu nisum ad quietem, quam longissime a corporibus remouendam putat: in Parte II. Epist. XIV. *Inertiā nullam aut tarditatem naturalem in corporibus agnoscō; reliqua.* Deinde cum GALILAEO nostrique aeui Physicis inertiam appellat corporum in statu suo perseverantiam *). Epistol. P. II. XXVI. et XXXIV. Quae autem proprie

eius

*). Quae ut magis pateant, *Status* notionem nunc quidem ex Physicorum libris depromam; quam ut rite tradam et explicem, corpus sumam in duobus temporis momentis infinite paruis sibique proximis. Iam vero his duobus momentis vel eundem occupat locum, vel minus; si eundem; in statu quietis esse dixeris si minus; in statu motus. Duplex igitur tantum est corporum status, cum vel quiescant vel moueantur.

At-

eius de hac re sententia fuerit, ex legibus eius naturae, in Principiis expositis, secundum quas fieri motus affirmat, perspici potest: quarum primam in Princ. Philosophiae P. II. §. XXXVII. pag. 32. ita enunciat: *vnamquamque rem, quatenus est simplex et indivisa, manere, quantum in se est, in eodem semper statu, nec unquam mutari, nisi a caussis externis.* Ita si quiescat, non credimus, illam unquam incepturam moueri, nisi ab aliqua causa ad id impellatur; nec illa ratio maior est, si mouetur, cur putemus ipsam unquam sua sponte et a nullo alio impeditam, motum illum suum esse intermissionem. Atque ideo concludendum est, id, quod mouetur, quantum in se est, semper moueri. Atque in §. XXXVIII. h. l. non aliam esse rationem, adfirmat, cur proiecia perseverent aliquamdiu in motu, postquam a manu iacente separata sunt; quod autem non perpetuo mouantur ab aere esse aliisque fluidis, motum eorum retardantibus. De eadem re verba facit in P. II. ep. XXXIV. ubi locutus de materia subtili grauitatem efficienti, *absque hac materia, inquit, quae corpora grauia deorsum trudit, lapis in altum proiectus usque in coelum ferretur, et quae sunt reliqua.* Altera legum, quas ponit, est, *vnamquamque partem materiae deorsim speciatam non tendere unquam, ut secundum lineam ullam moueatur praeter rectam:* et si multae saepe cogantur deflectere propter occursum aliarum atque in quolibet motu fiat quodammodo circulus, ex omni materia simul

B 3

in

Atque in statu quietis tam diu perseverare corpus dicitur, quam eundem occupat locum; ad statum autem motus eundem, non solum requiritur loci mutatio, sed etiam directio eadem atque aequalis celeritas.

motu. Caussam huius regulae eandem ad fert, quae est praecedentis, immutabilitatem scilicet et simplicitatem operationis, per quam Deus motum in materie conseruat; ut pote qui illum conseruat praecise talem, qualis est ipso temporis momento, quo conseruat, nulla habita ratione eius, qui forte fuit paullo ante.

§. XIV.

Sunt haec notioni inertiae ex accuratis obseruationibus haustae plane conformia. Quam vero his addit lex tertia ostendit, quae praeterea ad eius naturam pertinent, Cartesium non clare satis vidisse. Dicit enim: *vbi corpus, quod mouetur, alteri occurrit, si minorem habeat vim ad pergendum secundum lineam rectam, quam hoc alterum ad ei resistendum, illud deflecti in aliam partem et motum suum retainendo, solam motus determinationem amittere: si vero habeat maiorem, tunc alterum corpus secum mouere, ac quantum ei dat de suo motu, tantundem perdere.* §. XL. quae lex ex parte notioni inertiae non minus aduersa est, quam repugnat phaenomenis. Non enim directionem corporis impellentis mutat corpus ei vi inertiae resistens, sed ipsum motum. Potest autem haec motus mutatio ea esse, ut per eam directionem quoque mutari sit necesse, potest directionem eandem prorsus relinquerre, §. XLIII. Reliqua quae declarationis gratia addit, acumine viri digna sunt: *vim cuiusvis corporis ad agendum in aliud vel ad actioni alterius resistendum in eo confidere, quod unaquaque res tendat ad permanendum in eodem statu, in quo est.* Hinc enim, quod

quiescit,

quiſcit, vim habet ad perseverandum in ſua quiete, atque ex confequenti ad refiſtendum iis omnibus, quae illam poſſunt mutare; id quod mouetur ad perseverandum in ſuo motu, hoc eſt, in motu eiusdem celeritatis, et verius eandem partem. Viſque illa debet aeftimari, tum a magnitudine motus, in quo eſt; tum a celeritate motus, ac natura et contrarietate modi, quo diuera corpora ſibi mutuo occurruunt. Accedit denique locus in Epift. XXV. P. II. vbi, eandem ſemper manere quantitatē motus in materia creata, quae neque augeatur, neque minuatur unquam, affirmat. Quae quidem propositio ve- riſſima eſt, ſi intelligatur de quantitate motus ſecundum direc- tionem quandam datam atque conſtan-tem, ſi autem de quantitate motus in genere, nulla habita ratione directionis omni et experientiae et rationi eft contraria. cf. Newt. Opt. quaef. XXXI. pag. 322 ſeqq. His omnibus ſi pauca quaedam addidifſet, quae mox adferentur, completa prodiifſet inertiae notio atque infinitis motuum varietatibus declarandis ſufficiens.

§. XV.

LEIBNITIVS inertiae vocem a Keplero et Cartefio mu- uatus, omnibus quidem corporibus tribuit inertiam quandam naturalem: quod cum ex multis aliis locis, tum praecipue ex illo elucet, qui occurrit in Aet. erud. de an. 1698, p. 434. ino potius materiam refiſterē motui per quandam ſuam Inertiam na- turalem ſed nimis vagus atque indeterminatus in definienda eius notione, non verum cum hac voce significatum coniunxit, ne- que

que omnia, quae inertiae competitunt, ei tribuit. Leges quidem motus corporum easdem fere statuit, quae a nostri aeui Physicis assumuntur; nec minus in eo cum iis consentit, cum docet, corpus quiescens propter Inertiam pro ratione massæ resistere omni vi, quae illud in motum concitare laborat. Contendit autem, corpus ad motum et quietem non esse indifferens: et praeter Inertiam, quam nomine molis, sive vis passiuæ saepe definit, vim quandam actiuam assumit vel motricem primitiuam; semper quidem agentem sed tamen variae ex corporum concursibus per conatus impetusue modificatam. Perseuerantiam igitur in statu quietis motuique resistentiam, ut ex Inertia deducit; ita perseuerantiam motorum atque impetus, tribuit huic vi actiuæ, diuersimode modificatae. *)

Ex iis, quae nunc ex illo depromsimus, facile explicari potest, cur Inertiam comparet LEIBNITIVS cum quadam ignorantia, vel priuatione celeritatis. Nec minus, cur Inertiae vocem pulchre a Keplero dicat inuentam, intelligi ex hoc potest. Atque in eo nobis errare videretur LEIBNITIVS, quod nulla causa virgente, duas corpori tribuerit vires actiuam vnam, alteram passiuam ad explicandam eorum in quolibet statu perseuerantiam ad resistentiam impetusue inde deducendos. Vis enim corporis moti

*) Hanc quidem Leibnitii sententiam hausimus ex Act. erud. de ao 1695. p. 147. et de ao 1698. p. 434. nec non Theod. T. II. sect. I. §. 30. quae vero loca breuitatis causa ad verba describere nolui.

statum conferuans non magis actiua est altera; quae quiescens, nifi cogatur, ex hoc statu suo cedere non sinit. Insuper hoc virium discrimen motus et quietis Theoriam confundit, nunquam enim fere de motu relatio dici potest, utrum ab Inertia pendeat an a vi actiua. Videbimus potius deinde, haec omnia Inertiae esse tribuenda. Sed de his cum differendi nondum sit locus, quam tradiderit opinionem WOLFEIVS, videamus.

§. XVII.

Hic Leibnitiani systematis conditor cum omnibus, qui eum secuti sunt, plane fere in Leibnitii sententiam abiit. Intelligit enim secundum Cosmol. §. 130. sub Vi Inertiae *principium resistentiae motus in corporibus* atque in eadem §. corpus per illam quasi segne fieri ad motum adfirmat. Praeter hanc autem assumit atque a Vi Inertiae diuersum statuit *principium mutationum*, quam vim appellat actiuam, siue motricem, §. 135. 136. 137. l.c. Atque huic tribuit, quae nos ex sola Inertia deducimus, plurima. Ex his, quae allegauimus, quae vera eius fuerit sententia, satis concipi poterit. Quam vaga autem atque indereminata eius de Vi Inertiae fuerit Theoria, uno exemplo auctor sim. Etenim in Cosmol. §. 129 et fusius in §. 607. P. II. libri, quem inscripsit Vernünftige Gedanken von Gott, der Welt re. vim resistendi corporum in genere experimento confirmans, in librae suspensae trutina altera pondus quoddam ponere iubet, manuque, ut ista eleuetur, alteram deprimere; ad quod efficiendum vim quandam

C

siue

sive nisum requiri purat, eumque maiorem, si maius fuerit pondus. Pondere autem aequali virisque trutinae imposito, facile et eleuari eam posse et hanc deprimi. Hinc inferre conatur, corpora motui resistendi vi in genere esse praedita, qua sublata demum moueri possint. Quomodo autem ab hac resistentia, quam ipse grauitati tribuit, ad resistentiam in genere ex Vi Inertiae oriundam concludi possit, non video; cum grauitas non insit in corpore ut Vis Inertiae, atque alia illius vis resistendi atque huius, quae secundum omnes directiones se exserit, sit ratio, praesertim cum ista alii certae vi aequalis esse possit, haec, etiam minima vi tollenda, nulli aequilibris inueniatur. At his missis ad eum potius adscendamus virum, cui perfectissimam huius rei ac verissimam debemus notionem.

§. XVIII.

Summus scilicet NEWTONVS, sagax naturae et fidus interpres, cum omnem fere Physicam inuentis iisque maximis exornauit, tum potissimum scientiam de motu, sive Mechanicam ante eius aetatem multis scatentem erroribus, atque minus elaboratam, ex veris principiis experientia fundatis deduxit. Rationum autem ab illo adductarum tanta est vis, ut omnes Physici corporum naturam attentius considerantes ipsas, quas Newtonus de motu corporum statuerat leges, pro certis atque indubitateis habeant. Ea autem, quae NEWTONVS de Inertia sensit, praecipue ex illa inertiae definitione possunt repeti, quam inue-

ni-

nimus in Quaest. XXXI. Optics, vbi *Vis Inertiae*, inquit, est principium passuum, quo corpora in motu suo vel quiete persistant, recipiunt motum vi mouendi semper proportione respondentem, et resistunt, quantum sibi resistitur. Ex qua quidem definitione omnia ea deduci possunt, quae de corporum inertia docuit NEWTONVS. Eius autem sententia ut eo clarius perspiciatur, quibus potissimum contineatur, videamus:

1) Cum NEWTONVS inertiam appellauit principium passuum, illam hoc nomine ab omnibus aliis principiis actuosis distinguere voluit, quo referuntur ab illo omnia attractionum genera, siue fiant in interuallo maiori siue minore, v. c. gravitas, magnetismus, electricitas, effervescentia, cohaesio et quae sunt alia. Quae quidem eius sententia elucet ex Quaest. XXXI. vbi praeter alia hic spectantia haec praecipue occurruunt verba: *porro videntur mihi hae particulae primigeniae non modo in se Vim Inertiae habere motusque leges passuas illas, quae ex ista vi necessario oriuntur; verum etiam motum perpetuo accipere a certis principiis actuosis, qualia nimirum sunt gravitas et causa fermentationis et cohaerentiae corporum.* Ex eodem l. c. apparet, hanc Inertiae vim ipsis primis corporum elementis, ab eo tribui.

§. XIX.

2) Statuit, nullam praeter Inertiā requiri Vim, ad statum corporum motorum aequē ac quiescentium conseruandum,

niſi iſpis ab aliis reſiſteretur; ita, vt corpus motum ſibi iſpi reſiſtum ſemper eadem celeritate et ſecundum eandem direktionem moueri pergeret. *Omnē corpus*, inquit in Lege motus I. perfeuerare in ſtatu ſuo quiescendi vel mouendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus imprefſis, cogitur ſtatum illum mutare et in explicatione definit. IV. *Perfeuerat enim corpus in ſtatu omni noſo, per ſolam Vim Inertiae.*

§. XX.

3) Corpus quodcumque ex Inertia praeditum eſſe potentia materiae iſiſta reſiſtendi omni vi, quae ad eius ſtatum muſtandum agit: diſtinguit hanc reſiſtentiae ſpeciem ab aliis, quae oriuntur ex elasticitate, cohaefione et friktione eamque non dependere a partium ſubtilitate; ſed potius materiae ſemper proportionalem eſſe multis oſtendit exemplis. En eius verba in principiorum propositione XL. pag. 328. *Nam reſiſtentia, de qua agitur in propositionibus praecedentibus oritur ab Inertia materiae, corporibus essentialis eſt et quantitat̄ materiae ſemper proportionalis, et deinde, manente quantitate materie, manet eius vis Inertiae, cui reſiſtentia, de qua hic agitur (i. e. illa, quae oritur ex Inertia) ſemper proportionalis eſt.* Addi potest locus ex defin. tertia defiſtus. Ibidem locutus de potentia reſiſtendi materiae iſiſta, addidit: *haec ſemper proportionalis eſt maſſae, nec differt quidquam ab Inertia maſſae, niſi in modo concipiendi.*

§. XXI.

§. XXI.

4) Docet, fieri per Inertiam, ut corpus A. in alterum B. incurrens, in hoc corpus B. agat eiusque statum mutet; sed simul a corpore B. reagi in corpus A, eiusque etiam statum mutari; porro, actionem et reactionem sibi esse contrarias atque aequales, velocitatum autem mutationes esse in ratione reciproca corporum sibi occurrentium. Quod quidem colligi potest, ex definitione tertia, vbi haec occurunt verba: *exercet vero corpus hanc vim (Inertiae) solummodo in mutatione status sui per vim aliam in se impressam facta, estque exercitium eius, sub diuerso respectu et resistentia et impetu: resistentia, quatenus corpus ad conseruandum statum suum reluctatur vi impressae; impetus, quatenus corpus idem vi resistentis obstaculi difficulter cedendo, conatur statum eius mutare: et ex lege tertia quam ita enunciat: actioni contraria semper et aequaliter esse reactionem;* et in explicatione eiusdem legis: *mutationes enim velocitatum in contrarias itidem partes factae, quia motus aequaliter mutantur, sunt corporibus reciproc proportionales.*

His omnibus rite collectis apparet, ex NEWTONI sententia corporum sibi relictorum in statu suo perseverantiam, actionem et reactionem, impulsu et resistentiam in sola Inertia diuersimode determinata esse quaerenda.

C 3

§. XXII.

§. XXII.

Longior fui in considerandis N E W T O N I de Inertia pro-
positionibus, tum quia omnibus aliis, quas de hac re formarunt
eruditi ab illo dissentientes, notionibus anterreferendas iure putau-
tum potissimum, quod grauissimis nituntur argumentis atque
si accedunt vires actiuae, omnibus motuum generibus sufficiunt.
Haec etiam sententia cunctis fere memoriae nostrae Physicis pro-
bata est. Illa ad has propositiones confirmandas prolata argumen-
ta nos quoque permouerunt. Eadem igitur magis vrgere atque
effectus Inertiae pro varia ratione diuersos explicare constituimus.
Neque putamus, nos de Inertia differentes trita atque ob-
foleta tantum esse repetituros, cum quae de eadem re exstant scri-
pta, vel brevia, vel per magnum volumen dispersa contineant,
multique et nostri aei siunt Philosophi, qui eam vel plane negent,
multisque aut ipsam aut eius nomen impugnant argumentis, vel
eius notionem cum aliis confundant.

§. XXIII.

Inertia est illud corporum attributum, quo sibi ipsis relicta in statu suo perseverant. Cum vero per §. XIII. corporum status duplex tantum sit, alter quietis, alter motus; Physici, dum explicatius de Inertia loqui volunt, corpora sibi relicta in quoniam statu, siue quietis, siue motus perseverare dicunt. Si quis iam eam, quam de Inertia tradidimus, definitionem, cum loco citato

New-

Newtoni (§. XVIII.) aliorumque de eadem re sententia v. g. P R A E-
S I D I S P E R I L L. *) E V L E R I , **) K A E S T N E R I ***) comparare
voluerit, me quidem eorum non vti verbis re autem plane in eo-
rum sententiam iuisse intelliget.

§. XXIV.

Quamquam nostris quidem temporibus plurimi Physico-
rum in eo consentiunt, Inertiam omnium corporum esse attribu-
tum: inueniuntur tamen, vt ex historia appareat, qui eam negent,
vel saltim eius notionem ad corpora restringentes quiescentia
multis illam erroribus perturbent. Attamen, quod etiam ante-
cedentia testantur, omnes fere, qui de motibus scripserunt, quae
intelligi possunt, atque experientiae conformia sunt, inertiam
suposuerunt tamquam primum Mechanices principium et in his
maxime Newtonus cum omnibus iis, qui eius methodo philoso-
phantur, id est, cum omnibus fere accuratis aeui nostri Astrono-
mis atque Physicis. Qui Inertiam autem negauerunt, ad gra-
uissimos delapsi sunt errores et praeter generalia quaedam de
motibus nil veri tradiderunt. Copiosior ergo in illa probanda et
in refutandis aduersariorum opinionibus versari constitui, non
quidem ea mente, vt veris Physicis ea dicam, quae ipsis sunt no-
tissima, sed vt omnia colligam atque complectar, quae ad sen-
tentiam modicis atque scutum hunc oꝝ significare ten-

*) Einführung in die Naturlehre, 3te Ausgabe §. 52. verglichen mit §. 82.

**) Theoria motus corporum solidorum, Cap. II. def. XI.

***) Dissertat. mathematicarum et physicarum decima, de Inertia corporum.

tentiam aduersariorum destruendam valeant. Hinc quoque plura eorum, quae proferam argumenta, Inertiā corporum motorum concernent, altero corporis statu, qui est quietis, plane omisso. Omnes enim fere, qui ex aduersa stant parte, corpus quiescens sibi ipsi relictū in statu quietis esse perseveraturum libenter largiuntur.

§. XXV.

Ad mutationes vero corporum quotidie nobis occurrentes paullo attentiores, statum eorum, siue sit motus, siue quietis nunquam mutari, nisi vis quaedam externa accedat, in ea agens eorumque statum permutans plerumque obseruabimus. Hic ad omnem errorem cuitandum, quod internam inter atque externam causam sit discriminē, constituamus. Nostra quidem sententia interna est illa, quae in ipso inest corpore, externa vero, quae aliis quibusdam iuxta corpus inest; siue, ut clarissim mens nostra intelligatur, internam assērimus effectus suos, omnibus aliis remotis, edere posse, externam non posse affirmamus. Hoc quoque nomine quis non videt, attractionum genera omnia ad externas vires quodammodo esse referendas, cum corpus trahens alterum simul ab illo trahatur, atque adeo attractio corporis ab alio determinetur. Generatim Inertia differt a viribus quibuscumque actiuis eo, quod minima vis sufficiat ad Inertiā superrandam, atque ad motum producendum, licet hic motus a vi exigua productus itidem sit paruu. Contra vis actiua alii vi-

aetiuae aequilibris esse potest, ita ut nullus inde oriatur motus.
Plura de differentia virium attractricum ab Inertia infra dicemus.

§. XXVI.

Vt experientia porro magistra vtamur, consideremus
quaedam motuum genera, quae omnium fere frequentissima sunt,
quidque nos usus doceat, videamus. Corpora non gyrrantia si
in plano horizontali moueantur sensim in motibus suis languescunt.
Sed affrictum aerisque resistentiam retardationis praecipuas esse
caussas, easque externas, quis non statim videt? quo magis
enim polita ceteris paribus huius plani superficies, eo serius,
quo magis scabra eo citius ad quietem reducuntur corpora su-
pra eam agitata. Proiecta quoque corpora in motibus suis non
perfeuerare, sed acquiescere tandem docet experientia. At cau-
sae, si quaeris, adsunt externae, vnde hae mutationes oriuntur.
Erenim grauitate corpora terrestria et hinc quoque ea, quae proi-
ciuntur, impelli deorsum atque eorum directionem perpetuo
mutari, inter omnes constat. Insuper corpori cuique, proiecto
etiam in omni temporis momento resistitur ab aere vel ab aliis
corporibus, in quae incurrit, quod quidem ex eo colligi potest,
quod imminuta ista resistentia et motus diutius conseruetur. In
motibus porro planetarum atque cometarum ex resistentia aethe-
ris, retardationem aliquam ortam esse, ex comparatione antiquis-
sumarum obseruationum cum recentioribus collegit atque hinc

D

tem-

tempus periodicum terrae singulis saeculis quinque minutis secundis minui asseuerauit Eulerus.*

§. XXVII.

Omnia denique corpora, mota aequa ac quiescentia statutus mutationi reluctari ex eo apparet, quod vis quaedam eaque pro rerum ratione interdum valde magna ad illum cum certa quadam celeritate mutandum requiritur. Quod quidem, si vel corporibus motum imprimimus, vel motorum motum retardare siue penitus tollere studemus, experientia animaduerti atque sentiri potest. Corpus enim quocunque quiescens si in motum constituis, atque motum omni motus mutationi, siue incitare siue retardare, siue directionem mutare volueris resistit. Eadem enim vis requiritur, si corporis duobus celeritatis gradibus tertium addere, quae si vnum eidem demere vel quiescenti imprimere volumus, adhibetur. Vnde perspicitur, ad eandem in corpore vel moto vel quiescente statutus mutationem producendam determinatam quandam atque eandem semper vim requiri, nisi corporum massae mutationem quandam subierint.

§. XXVIII.

His omnibus rite collectis iisque additis, quae de ceteris motuum generibus experientia constant, sequitur nullum fere quidem, quod omnino in statu suo perseveret, obseruari corpus. Sed eodem iure omnes corporum motus ab externis cau-

sis

* Opusculum IV. De relaxatione motus planetarum.

sis originem suam ducere, cum maxima veritatis specie affirmare possumus. Etsi enim nobis, quod quidem facillimum, proponatur motus quidam, cuius caussam externam eruere atque designare nequeamus, minime tamen, nullam prorsus caussam adesse externam, sed potius, eam nondum a nobis esse detectam concludere licet.

§. XXIX.

Sed iam satis dictum de iis motuum generibus, quorum caussas externas assignare possumus. Ad hanc enim de Inertia quaestionem per inductionem decidendam requiritur, ut completam ac perfectam omnium motuum et virium motricium habeamus cognitionem. Quodsi enim omnium motuum caussas cognitis haberemus atque perspectas, hae vel omnes externae essent, vel tantum pleraque: priori casu certa foret haec lex: *Corpus sibi relictum statum suum non mutat*; posteriori vero nullum prorsus superesset dubium, quin Inertia a corporibus sit remouenda.

§. XXX.

Ex his certe, quae praemissimus, colligere licet, Inertia non esse rem mere imaginariam, sed potius multis phaenomenis corporum coelestium aequo ac terrestrium confirmatam. Cum autem omnium corporum motus a nobis obseruari eorumque caussae detegi nequeant, adeoque nec sola inductionis via Inertia omnibus corporibus tribui possit, nonne alia ratione a

phaenomenis notis ad reliqua concludere licet? Analogia nimurum *summus NEWTONVS* egregiis, quas eius ope exhibuit, considerationibus, usus est, qua sublata nihil fere de vniuersis affirmare possumus. Ut enim ex illa constat, caussam descensus corporum, quibus obseruationes institui non licuit, eandem esse ac eorum, quae experti sumus, i. e. grauitatem; ita etiam a corporum quorundam effectibus Inertiae tribuendis, ad alia analogia duce cur non progrediamur, cum in eo potissimum insit eius vis, *Effectuum eiusdem generis, quorum nempe quae cognoscuntur proprietates eadem sunt, easdem esse caussas et easdem esse proprietates, quae nondum cognoscuntur?* Habemus vero corpora, praesertim coelestia, ut antea dictum est, quorum in effectibus Inertia cernitur. Cum his si comparare velis ea, quae conspiciuntur in aliis corporibus, eosdem effectus, easdemque motus proprietates, (si retardationes ab externis caussis deducendas excepteris) inuenies, eandem igitur caussam, eandem eius proprietatem esse, eodem iure contendere licet. Atque magis adeo stabilitur haec argumentatio, si perpenderis, omnes etiam motus ex Inertia obseruationibus consentaneos deduci posse.

§. XXXI.

Constat nimurum inter physicos, hanc propositionem, *Corpus habet Inertiam*, esse fundamentum, cui omnes motuum leges superstructae sunt: constat, omnes inde repetitas esse conclusio-
nes, omnia argumenta, quae ad determinandos motus corporum
et

er fluidorum et solidorum statuerunt omnes fere cum Newtono
Physici recentiores. Constat, inde deductas esse leges, quas cum
in resistendo aliis, tum in communicando motu corpora sequun-
tur additis iis quae viribus attractricibus tribuenda sunt. Quod-
si vero hoc propositionum nostrarum principium, Inertiam pu-
ta, malo niteretur fundamento, qui fieri posset, ut omnes inde
reperitae conclusiones cum experientia omnino congruerent?
qui fieri posset, ut nullus plane nobis obueretur motus ab his
discrepans legibus? Sed ita res est comparata. Duce enim expe-
rientialia comperimus, omnes corporum tam coelestium, quam
terrestrium motus eum seruare ordinem, quem ex Inertia tam-
quam primo totius Mechanices principio deducimus.

§. XXXII.

Largimur quidem, multa in rerum natura existere mo-
tuum genera, quae ex legibus nostris explicari nequeant, non
vero hoc nomine, quod istae leges minus certae sint, sed potius,
quia vires eorum motrices nobis sunt plane incognitae. Qui
enim leges vel certissimas viribus adplicare possumus, quas pla-
ne non nouimus? E contrario autem affirmare possumus, ne vni-
cum quidem inueniri motum, ex quo legitime principii nostri fal-
sitas demonstrari possit, quod quidem euenire deberet; si cor-
pori inesset Vis quaedam interna statum suum mutandi, nisi ad-
uersarii afferere velint, eam quidem adesse, nullis autem cerni

effectibus. Quod vero assertum absolum esse, nulla eget demonstratione.

§. XXXIII.

Sed, ut maiori adeo vi principium nostrum vindicemus; idem nunc inuertamus. Fac, corpori competere vim internam statum suum mutandi: condamus inde regulas pro diuersis corporum motibus. Nonne haec regulae diuersae forent ab iis, quas ex Inertia deduximus? Nonne adeo interdum cum illis plane pugnarent? Hoc si iam accideret, accidit autem certissime, qui sit, ut experientia istis conclusionibus repugnet? at nulla alia ratione, quam si assumeris, principium istud falsum esse: atque igitur, cum ex propositione ista: *Corpori competit vis statum suum mutandi propria*, motuum leges experientiae plane contrarias rite deduci pateat, cur non principium, quod assumsimus, ipsum iure explodamus?

§. XXXIV.

At dicunt, audio enim nonnullorum Philosophorum vocem, legitime quidem ex argumentis nostris cogi, corpus statum, quem tenet, non mutare; sed iidem adfirmant, hanc corporis perseverantiam non Inertiae esse tribuendam, sed potius viribus quibusdam externis, quae continuo in illud agant ad conserendum statum, sive sit quietis, sive motus, eodem plane modo, ac si Inertia eius esset causa. Fingunt enim corpus in quocunque temporis momento motum suum plane amittere, quem autem

eodem

codem temporis momento a viribus quibusdam externis eadem celeritate et secundum eandem directionem restitui dicunt. Verum hi nihil adferunt. Statim enim elucet hanc vim externam non proficisci a corpore solidiori, sed potius a fluido quodam, sub quo omnes fere ad formandam hypothesin Aetherem intellexerunt. Spatium enim cum in regione terrae tum praecipue in coeli plagiis non solidioribus repletum esse corporibus, testatur experientia.

§. XXXV.

Inquirendum igitur nobis est in leges, quas fluida sequuntur agendo in corpora solidiora, ut videamus, an ex his fortasse opinionis istius veritas aliqua extorqueri possit. Iam docemur experientia, actionem fluidi in corpus solidum eo maiorem esse, quo maior sit huius superficies, ita ut, reliqua si sint eadem, impulsus fluidi sit in ratione superficierum ipsi oppositorum. Sumamus igitur duo globos eiusdem ponderis sive massæ vnum ligneum plumbeis lamellis inuolutum, plumbeum alterum; superficiem globi lignei magnitudine multum excedere plumbeum patet. Moueantur iam ambo eadem celeritate; quidnam quæsto, si motus eorum per fluidi cuiusdam impulsum conseretur, mox eueniret? Cum superficies globi lignei multo maior sit superficie globi plumbei, fluidum maiori vi in illum quam in hunc ageret. Inde efficeretur, ut primo temporis, in quo motus continuatur, momento elapsō globus ligneus celeritate

plum-

plumbeum superaret. Etenim cum aduersarii motum impressum globis dicant primo temporis momento amitti, nouum autem a fluidi actione imprimi; huius actionis effectus maior sit in ligneo necesse est, quam in plumbeo, hoc est: motus quantitas globi lignei excedere debet quantitatem motus plumbei. Sed cum massae amborum globorum sint eadem, sequitur, vt lignei motus celerior euadat illo quo plumbeus progreditur. Quod cum omni experientiae reperiatur contrarium opinionem laudatam hypothesin esse inanem nullaque niti obseruatione, concludimus.

§. XXXVI.

Sed obiiciunt forte huic argumento nullam probandi vim inesse, cum non tantum impulsus fluidi, sed etiam resistentiae sint in ratione superficierum. Quam quidem obiectionem hocce modo soluo. Sit Superficies plumbei a , impulsus I , resistentia R , lignei autem superficies b , impulsus i , resistentia r , habebimus $I : i = a : b = R : r$, hinc $I : i = R : r$ et $I - R : i - r = R : r = a : b$, i. e. excessus impulsus supra resistentiam esse iterum in ratione superficierum; vnde argumenti nostri eandem esse vim, siue adsit resistentia, siue sit sublata, concludimus.

§. XXXVII.

Aliud aduersariorum genus summum acumen adhibuisse putant, cum motorum perseverantiam sequenti modo explicare labo-

laborent. Fingunt enim corpus fluido ipsi a parte anteriori resistenti motum communicare, quod postea motu quodam circulari ad partes corporis posticas recurrens restituat motum per resistentiam fluidi amissum. Quae quidem trita atque obsoleta opinio cum iam a COTESIO in praefatione ad Newtoni Principia refutata sit lectori hunc locum tantum indicare voluimus. Hic enim quaerens, an motus amissus corporis restitui possit a fluido ad partes posticas recurrente, haec adiicit: *hoc autem dici non poterit, nisi impressio fluidi in corpus ad partes posticas aequalis fuerit impressioni corporis in fluidum ad partes anticas, hoc est, nisi velocitas relativa qua fluidum irruit in corpus a tergo, aequalis fuerit velocitati, qua corpus irruit in fluidum, i. e. nisi velocitas absoluta fluidi incurrentis duplo maior fuerit, quam velocitas absoluta fluidi propulsii; quod fieri nequit.* Sed non amplius moremur in refutandis hypothesisibus, quas nonnulli Philosophorum ad negandam Inertiam construxerunt. Harum enim multitudo tanta est, ut nesummi quidem libri moles ea complecti posset, quae ad eas destruendas sufficerent.

§. XXXVIII.

Eti ea, quae disputara sunt, Inertiam certissime euictam reddere videntur, ad caussam tamen nostram magis urgentam ex more Physicorum experimento sententiam illustraturi atque confirmaturi non inutile agere putamus.

E

Com-

Communicata mecum fuit a P R A E S I D E P E R I F L L. ma-
china ad declarandam Inertiam aptissima, cuius vero theoriam
fatis abstrufam et ne nunc quidem sibi plane cognitam dicit.
Quam cum in nullis Physicorum libris descriptam nouerim, eam
hoc occasione delineare atque eius fabricam et effectus definire
non superuacanei quid esse putau.

ABCD est discus vel cylinder ligneus, cuias altitudo
AD (Fig. 2.) vnius, diameter baseos AB (Fig. 2.) sex pollicum
est et dimidii, cui annexi sunt duo alii minores EF et GH,
quorum cuiusvis diameter circiter $\frac{2}{3}$ vnius pollicis est, qui axem
cylindri vel tympani constituant et quorum ope hic cylinder cir-
ca apices IK liberrime moueri potest, qui quidem apices cochleas
terminant quae transeunt per loculum ex regulis lignis fir-
miter compactum LMNO. Disco ita in loculamento suspenso
motus rotatorius celerrimus concitarur, funiculum tenuem circa
alterutrum axium EF vel GH aliquoties circumvolutum summa
vi detrahendo, eo fere modo quo pueri turbinem in motum agi-
tant: ad motum vero diutius conseruandum cylindri pondus au-
gustum est quatuor cylindris plumbeis ligno firmiter insertis in figu-
ra I. litera P designatis. Ansarum QQ usus in eo consistit,
ut machina commode teneri possit. Praeter haec ad ma-
nus esse debet, vncus inflexus elasticus RR cuius apices in-
flexi SS propte elasticitatem vnci, foraminibus conicis SS se-
in-

inserunt. Foramina in quocunque loculamenti latere sunt quatuor, quorum ambo inferiora UU. ita sunt posita, vt linea ea coniungens transeat per centrum grauitatis tympani cochleis quantum opus est, in hanc illamue partem protrusi. In superiori parte vncio, mediante fibula X, annulus VV. ita annexus est, vt vncus, cui tota machina appensa est, circa fibulam X. gyrari possit.

§. XXXIX.

Haec de machinae figura; qua descripta ad usum eius progrediamur. Triplex autem est experimentum, quod ad probandam corporum inertiam eius ope institui potest. In duabus illis, de quibus primo loco exponemus, vncio RR remoto, machina tenetur ansis QQ. In posteriori autem vncio suspensa tenetur annulo V. (Fig. 1.).

Quodsi nunc disco ope funiculi ut antea commemorauimus impressus est motus gyrorius celerrimus, obseruabis

Primo experimento tympanum motum suum gyrorium per longum temporis spatium esse retenturum, licet non omnis frictio ex apibus orta sublata sit et aer, vel parum, continuo motui resistat. In quo etiam hoc non omittendum censeo, occasio nem mihi datam fuisse in duabus machinis, quarum altera paulo minor erat hic descripta, idem experimentum obseruandi. Hic enim

inueni, tympanum maius motum suum diutius conseruare, quam illud, quod magnitudine erat inferius.^{*)}

§. XL.

Secundo experimento obseruabis, summam vim adhibendam esse ad celeriter mutandum planum, in quo tympanum rotatur, vel ad axin tympani subito e situ suo dimouendum. Quae quidem resistentia tympani celerrime moti tanta est, ut vix hominis vires eam superare valeant. Eodem experimento cum machina minori instituto resistentiam quidem eamque non exiguum inueni, ea tamen, quae in maiori deprehenditur, multo minorem. Ceterum hic adferendum est resistentiam eo maiorem esse, quo celerior, caetera si sint eadem, sit motus gyrorius.

§. XXXI.

^{*)} Non ingratum forte lectorum cuidam fore spero, hic adiectum esse, quam diu rota in motum concitata in eodem versetur, quotque tempore dato revolutiones eius fiant. En, quae experimentis institutis reperi.

- 1) Motus rotae per funiculum impressus plerunque per decem minuta prima conseruatus est, nec dubito, illum diutius esse duraturum, si maior rotae impressa fuerit celeritas, quam per funiculum manu detraetum fieri potuit.
- 2) Rota in initio motus, ubi celerior est, decem fere perficit revolutiones vno minuto secundo vel quod ad idem redit 600. in vno minuto primo.
- 3) Cum diameter rotae sit 6 pollicum et dimidii ad mensuram Rhen: decim. erit peripheria duarum fere pedam. Inde colligimus, viam puncti peripheriae vno minuto secundo esse 20 pedum, decem itaque minutis primis 12000. Quia vero rotae motus versus finem multum retardatur 6000. tantum assumamus pedes quae tertiam fere milliaris germanici communis constituant partem.

§. LXI.

In experimento denique tertio vnci apices SS. in duo foramina directe sibi opposita (correspondentia) inseruntur. Nec refert, quod in hoc experimenro foraminum par eligas, cum in omnibus rite succedat; eo excepto, si duo infima U.U. adhibeantur atque discus cochlearum ope statuatur sic, ut, machina ex vncō suspensa, centrum grauitatis disci cadat in planum verticale, transiens per rectam quae apices vnci foraminibus loculamenti insertos conne&tit. Tympanum celerrime iam commotum, si in illo, quem Fig. I. exhibet, situ posueris, ita ut rotae situs verticalis, axis autem sit horizontalis, id, hoc eius situ vix mutato, diu rotari videbis, licet, quod clarum est atque euident, totum tympani pondus labore, ut axem ex horizontali situ ad verticalem defle&tat. Ut autem tympani motus sensim diminuitur; ita axis in situm verticalem restituitur, quem ob disci pondus obtinere debet, et in quem illo quiescente statim recidit.

§. LXII.

Hic autem non praeterendum, quod facile experimenro instituto in oculos occurrit, axem non in plano verticali in quo recidit in statu quietis, etiam in motu ad situm horizontalem defle&t. Nam disco descendente vncus et tota, quae huic appensa est machina circa fibulam X. gyratur, ita ut axis ad situm verticalem descendens lineam describat spiralem; Atque hic motus spiralis quo descendit contrarius est tympani motui, ita

ut rota sive disco gyrante dextrorsum, tota machina sinistrorum moueatur. Ut denique foramina in quibus vinci apices continentur longissime ab insimis U. U. remota sunt (ut in fig. i. conspicitur) ita celerrimus efficitur motus spiralis, cum magis remittatur quo propinquiora sunt foraminibus U. U. quibus ipsis adhibitis plane cessat; hoc enim casu centrum grauitatis sustinetur atque adeo axis tympani in horizontali situ acquiescit.

§. XLIII.

Ex his, quae iam descripsimus, experimentis ad probandam inertiam eiusque effectus explicandos atque determinandos haec legitime deducimus.

I. Cum corpus quocunque motum, licet non omnis sublata sit resistentia, a cauissis externis orta statum suum diu conservet, verisimillimum, quid? certum est, illud motus suos, si haec plane tollatur resistentia, eadem celeritate esse persecuturum. Discum enim, licet frictio apicum aerisque resistentia remoueri nequeat, serius ad quietem reduci docet experimentum primum secundum, tertium.

§. XLIV.

II. Ex experimento secundo colligo, corpus quocunque motum omni resistere vi, quae vel ad celeritatem, vel ad directionem mutandam tendit, videturque ex hoc experimento sequi hanc resistentiam non modo maiorem fieri, si maior fiat massa corporis mouendi, verum eandem simul cum huius celeritate ea,

qua

qua corpus actu mouetur, crescere, adeoque resistentiam sequi rationem quantitatis motus eius corporis, utpote cuius mensura est factum ex massa in celeritatem ducta. Id autem principiis, quae initio adducta sunt, plane contrarium est, quibus continetur, eadem vi opus esse, ad eundem massae cuicunque nouum certae magnitudinis motum imprimendum, siue quiescat ea massa siue moueat, et in quamcunque partem moueatur hac vel illa celeritate. Suntque haec experientiae plane consona. Neque enim globus ferreus summa vi nitri ex tubo bellico, secundum rectam horizonti parallelam excussus, ex ea recta minus alte deorsum cadit, quam cadit aliis, qui in eadem illa linea quieuerat. Et in genere corpus quacunque celeritate motum in latus impellitur, non maiori vi, quam quiescens, si celeritates nouorum horum motuum seorsim spectatae eadem esse debeant.

§. XXXV.

Est autem considerandum non de rectilineis motibus agi in hoc experimento, sed de angularibus. Si enim rotam suspensam ex vncio suo; apprehenso huius annulo, ex loco in locum transferre velis; non maiori ad id vi opus esse senties, si moueat rora, quam si a rotatorio hoc motu quiescat; dummodo eadem vtrinque sit celeritas qua transfertur, directio vero, quae neque multum eleuet rotam, neque multum terrae admoueat. Vtrinque enim solum pondus vnci, loculamenti atque rotae ei adnexorum erit superandum, et ea inertia, qua vniuersa haec massa

massa celeritati ei imprimenda resistit. In experimento autem, quo rota sese celerrime reuolente, vna, quauis manu, locula-
menti ansa apprehensa, harum altera attrahitur, altera repellitur,
motus angularis imprimitur rotae atque eius axi, cuius ratio
longe alia est. Pone enim corpori, quod globus sit in plano
horizonti parallelo aequabili celeritate secundum rectam AB
(Fig. 3.) motus, imprimendum esse motum, quo secundum ali-
am rectam AC incedat, pristinae directioni sub angulo dato
CAB occurrentem, si ergo prioris illius motus celeritas exhibe-
atur per AB, motus globo secundum directionem BC ad AB
rectae vel huic parallelam AD imprimendi celeritas erit BC at-
que $AB : BC = 1 : \tan : CAB$. Hic ergo angulus si manere
debeat, utique et ratio $AB : BC$ ibique eadem sumenda erit, cres-
cetque adeo vis secundum BC agens in eadem ratione, in qua
crescit AB, celeritas pristina corporis, cuius directione mutanda
est.

§. XXXVI.

Declarant haec insignem rotae, quae in hoc experimen-
to sentitur, resistentiam, maxime si addamus, partes quarum di-
rectio mutanda sit, per rotationem rotae continuo accedere
alias atque alias, quarum resistentia manuum labore superanda sit.
Plena autem huius resistentiae explicatio non mihi tantum admis-
sum videtur difficultis; sed difficilem quoque iudicat PRAESES
PERILL. repertor trium corporis cuiusvis axium, quibus EV-

L E R V S

TERVS in mechanica solidorum summa ingenii sagacitate usus est; quamuis circa haec occupato, aliqua sibi in mentem venisse dicat ad perficiendam theoriam turbinum, inter quos rota haec omnino referenda est, si recte adhibeantur, fortasse non inutilia.

§. XLVII.

Tertio denique experimento docemur, Inertiam a grauitate maxime esse diuersam. Hac enim axis cylindri, cum eius centrum grauitatis nulla sustineatur vi, ad situm verticalem deprimitur. Per Inertiam autem eam, qua quodlibet punctorum cylindri rotati manere conatur in plano basibus cylindri parallelo, atque in eo circulum describere, axis retinetur in quounque situ et adeo in horizontali, grauitatis actioni maxime contrario. Cum autem grauitas continuo agat, ad axim deprimendum oritur motus gyrorius circa fibulam X. Qui quidem motus compitus est ex eo, qui producitur actione grauitatis atque ex effectu Inertiae. Hinc iste motus gyrorius plane tollitur, postquam axis ad situm horizontalem peruenit, vel ubi adhibitis foraminibus per litteras UU designatis centrum grauitatis totius machinae vncio sustinetur. In vitroque enim casu grauitatis actio nulla oriri potest propter centrum grauitatis sustentatum.

§. XLVIII.

Sed iam satis dictum de iis, quae ad Inertiam probandam spectant, siue ex ratiocinio siue ex experimento sint repetita a nobis descripto. Sunt quidem in promtu alia argumenta eaque

F. *gr-*

grauissima a summis Physicis hac de re tradita, quae vero fusius recensere fini nostro non conuenit. Paucis igitur illud, quo vtuntur **E V L E R V S** et **K A E S T N E R V S**,*) argumentum infra addiccam. Ea enim, quae a nobis disputata sunt, cum singulatim, tum praecipue, si simul sumta rite intelligantur, adeo firmis stabilita puto rationibus, vt nullum contra propositionis nostrae veritatem relinquatur dubium. Attamen si quis non plane his adducatur, vt in partes nostras abeat; illum certe argumento, quod deinde, vbi de Inertiae caussa locuturi sumus, addetur, non amplius dubitaturum, existimamus.

§. XLIX.

Inertiae potius indagemus caussam: disputemus de re maioris momenti cum inertia, vt antea iam commemoratum est, sit primum totius Mechanices fundamentum atque principium. Hic statim mihi obuersatur sententia summi **E V L E R I****)

*) In theoria motus corp. solid. **E V L E R V S** veritatem inertiae deduxit ex principio rationis sufficientis. Etenim in §. 83., cum enim, inquit, in corpore nulla insit ratio, car in omnium portis moueri directionem incipiat, quam in omnes alias atque extrinsecus omnis caussa motus adimitur, secundum nullam directionem motum concipere poterit. Simili fere modo in §. 86. perseverantiam corporis in motu eadem celeritate et secundum eandem explicat directionem. Ab hoc **E V L E R I** argumento illud quod tradidit **K A E S T N E R V S** in diss. de Inertia corp. verbis quidem discrepat, re autem omnino conuenit.

**) In Mechanica analytice exposita Tom. I. §. 56.

qui Inertiae causam in ipsa corporis natura sitam corporique essentialiē esse contendit.

Cui quidem summi viri sententiae subscribens, quo Inertia maxime contineatur, explicare tantum constitui.

§. L.

Inertiaiam enim tamquam consequens nonspontaneitatis considerari posse, ita, ut posita illa, Inertia quoque ponatur, contendō. Nec a veritate aberrare multum opinor, si Inertiaiam appellēm nonspontaneitatem applicatam ad corporum motum et quietem. Ipsi autem corporum nonspontaneitati probandae haud inhaerebo cum omnes philosophi eandem amplectantur sententiam, atque spontaneitate potissimum animos a corporibus distinguant. Nonspontaneum dicunt, quod ex duobus contradictione oppositis non unum aequē ac alterum agere potest; vel, quod ad idem redit, quod repugnans ei, quod agit, propria vi agere non potest. Corpus igitur si nonspontaneum dixeris, eidem simul Inertiaim tribueres. Motus enim atque quietis status cum sint directe opposita, corpus in statu uno positum propter nonspontaneitatem ad alterum se determinare, sine illum mutare nequit.

§. LI.

Ex hac ipsa, quam assignauimus, Inertiae notione, pro Inertiae veritate nouum simul atque grauissimum ducere possumus argumentum. Si enim corpus Inertia destitutum dixeris,

a quiete ad motum sponte quasi atque vi quadam interna se determinare atque transire posset. Hi vero status cum sibi plane repugnant, quis non videt statim etiam illi tribui spontaneitatem? quae quidem cum plane a corpore remouenda sit, id nostra quidem sententia, Inertiam adesse, ostendit.

§. LII.

At pugnant alii nobiscum ex Leibnitii sententia supra a nobis tradita qua corpus in quiete per Inertiā in motu autem dicunt per vim quamdam actiuam seu motricem internam perseverare. Hi autem vel verbis ludunt, cum idem corporum attributum sub diuerso respectu diuersē appellant; vel putant vim actiuam alios, quam Inertia edere effectus eosque multo maiores. Sed eadem prorsus vis requiritur, si corpori duobus celeritatis gradibus moto tertium addere, sine massa non mutata ipsi vnum demere, vel quiescenti vnum celeritatis gradum imprimere velis. Nil igitur refert, an quiescat corpus an vero muretur, sic certae quantitatis mutationem in corporis statu producere cupis, atque in vtroque statu eadem tantum vis requiritur. Inde elucet, vim, qua corpus in statu suo perseverat, in motu non esse magis actiuam illam, quam qua in quiete permanet. Vis igitur actua eorum, qui Leibnitio fauent, eosdem plane edit effectus, quam Inertia. Non igitur video, cur duobus nominibus candem rem designare velint, cum tantum absit, ut hoc modo clarescat, vt potius magis obscuretur.

§. LIII.

§. LIII.

His explicatis iam in eo sumus, ut quibus differat inertia
a viribus attractricibus, a grauitate potissimum atque cohaesione;
nec minus quomodo ab affictu sit distinguenda adiicere possi-
mus.

Si duo corpora A et B (Fig. 4.) libera ad se inuicem ac mutuo
accedunt, sic, vt, retento corpore B, admoueatur A, et contra,
nullamque vim externam*) huius motus reciproci obseruamus,
hoc phaenomenon attractionis nomine definimus.

Non igitur affirmamus, hac voce *attractionis* ipsam huius
phaenomeni caussam explicari atque erui, sed potius innuimus
eam a nobis nondum esse detectam. Cum igitur hac voce vta-
mur tantum ad distinguendam atque sejungendam attractionem
ab aliis caassis nobis cognitis, non in id inquirimus, an haec
caussa sit externa, nec ne, licet illud fortasse, nisi a fine nostro
abhorret, verisimile reddi a nobis possit.

§. LIV.

Omnium autem virium attractricum duplex est ratio; vel
enim sub interuallo maiori se manifestant, ut grauitas, magnetis-
mus, electricitas; vel in distantia admodum parua conspicuntur,
F. 3.

) Hic notionem vis externae et internae supra a nobis traditam, rite explican-
dam esse putamus, ne nobiscum pugnare videamur. Hoc igitur casu ex-
terna dicenda est ea vis, quae non corporibus sese mutuo attrahentibus
inest, sed potius illa ambientibus, interna autem, quae his corporibus simul
summis inest.

quibus efficiuntur ea, quae in tubis capillaribus obseruantur, et cohaerentia quorundam corporum solidorum, et ipsa denique cohaesio. Sed quotquot, quantumque diuersa sunt attractionis genera, proprietates ramen quasdam in omnibus obseruamus, quibus ab Inertia distinguuntur.

I. In genere si duo corpora A et B (Fig. 4.) se attrahunt; haec attractio semper mutua est, ita ut A trahens B itidem trahatur ab ipso B et sic contra. Inde apparet, causam motus corporis A non in hoc solum, sed potius in ambo bus esse quaerendam, vel quod idem est motum unius corporis attracti vel attrahentis determinari simul ab altero, quod trahit vel a quo trahitur.

Videamus nunc an hoc phoenomenon ex Inertia explicari queat, nec ne? fieri vtique potest, ut haec corpora A et B ad se inuicem accedant si A motum habet secundum ab et B secundum ba, ipsis a vi quadam externa impressum atque propter Inertiā conseruatum. Sed ea qui-
tov dem differentia, ut motus corporis B nullo modo deter-
minetur a corpore A et sic contra, ita ut quodvis eo-
rum eodem plane modo, alterum si remoueris, motum
suum persequeretur. Alia autem est ratio attractionis, vbi
motus unius corporis semper per alterum determinatur,
ad quod respectum habet.

§. LV.

§. LV.

2. Si duo corpora attractione quacunque ad se inuicem accedunt, haec eo citius moueri videmus, quo magis inuicem in propinquitate, vnde efficitur, quod quidem multis experimentis atque observationibus confirmatur, attractionis effectus, caetera si sint eadem, imminuta corporis distantia, crescere; per inertiam autem quis non expertus est, atque ex §. XIII. coll. cum §. XXIII. cognovit corpora eadem celeritate motum suum persequi, quamvis interualla, quibus ab aliis distant, mutantur.

3. Denique vis actiua alteri aequilibris esse potest, Inertia non potest. Sed de hoc videatur §. XXV.

§. LVI.

Haec de viribus attractricibus in genere. Grauitatem corporum terrestrium nunc in specie ab Inertia distinguentes inuenimus.

1. Corpus tamquam iners secundum omnes directiones resistere atque hanc resistantiam ex Inertia ortam caetera si minima paria sint, eiusdem plane esse magnitudinis, quaeunque est directio illius vis, quae corporis statum mutare laborat. Contra grauitatis directio una tantum est atque perpetua; quae ita determinatur, ut lineam horizontalem fecerit ad angulos rectos. Nulli igitur vi grauitate corpus resistit, quam quatenus eius directioni aliqua con-

tra-

traria est. Ad quod illustrandum vnum adiiciam. Corpus C (Fig. 5.) iaceat in superficie horizontali A B. Hoc si vi quadam sursum contra directionem ED, quae est gravitatis, agatur, rorato pondere suo per gravitatem actioni resistet. Quodsi autem alia vis secundum directionem FG ipsi AB parallelam, in corpus C agit, gravitatis resistentia plane erit nulla. De affrictu enim infra dicemus.

2. Corpora per gravitatem descendunt motu uniformiter accelerato, contra Inertia feruntur motu uniformi atque aequabili.

3. Corpora, quae propulsa sunt secundum directionem cum gravitatis directione angulum includentem, ab hac via gravitatis actione continuo deflectuntur, ita ut in quocunque temporis momento eorum mutetur directio. Contra corpus per Inertiā secundum eandem semper progredi directionem, vidimus.

§. LVII.

Alteram attractionis speciem, cohaesionem facile ab Inertia distinguemus, si eius notionem constituerimus. Est enim illa vis, qua corporum elementa omni separationi reluctantur vel, ut cum Newtono loquar, *attractio particularum in minima distantia*. Ita igitur differt, ut

i. Sit mutua, i. e. ut una particula cum altera cohaerens non tantum ab illa trahatur, sed et ipsa illam trahat.

Hanc

Hanc vero mutuam actionem ex Inertia oriri non posse,
iam supra diximus.

2. Non semper massam sequatur, cum tamen Inertia semper
sit in ratione massae. Ex multis enim Physicorum et in-
primis Muschenbroekii experimentis cognoscitur haec co-
haesioneis ratio:

Plumbi $29\frac{1}{4}$

Stanni $39\frac{1}{4}$

Ferri $450\frac{1}{4}$

Hac comparata cum ratione cuiusvis massae discriminem lucu-
tum lentissime eluet.

§. LVIII.

Sed progrediamur ad affrictum, atque hunc potissimum
attendamus cum hunc ipsum nonnullos cum Inertia vi-
deamus confundentes. At vero hoc fieri non posse puto, si
tantum attenderis,

1. Affrictum motus celeritatem quounque temporis mo-
mento imminuere, Ineriam non perturbare sed conser-
uare potius.

2. Affrictum in diuersis corporum generibus diuersum esse
licet eorum massa sit eadem, atque maiorem saepius,
vbi minor sit massa et contra, quod cum Inertia plane
pugnat.

3. Augeri cum celeritate corporis, massa non mutata, at
Inertia in eadem massa semper eadem, celeritate nihil mu-
tatur.
4. Denique requiritur vis quaedam eaque pro rerum cir-
cumstantiis valde magna ad superandum resistentiam ex
affrictu ortam antequam illius oriatur motus. Illius vero
quae ex Inertia fluit resistentiae ea est ratio, ut a minima
vi oriatur motus.

§. LIX.

Quae quidem discrimina ad designandam Inertiā, in
cuius notionem alienae faepius notae irrepererunt, satis arbitror
apta arque ad eandem accuratius indagandam accommodata.
Quamobrem, cum quod sit sine effecto, in rerum natura nihil
inueniatur, ad ea nostra nunc se deflectar commentatio, quae
ex Inertia nascuntur. Sed ne limites ea excedat, atque ad
tractationem eam studio adornandam tempus longius suppetat,
nunc finem dissertationi inaugurali impositurus, reliquis alteram
exhibere partem mihi proposui.

PRAE-

P R A E S I D I S
 A D C A N D I D A T U M
 E P I S T O L A.

Qui viam ad eruditionem difficultem esse dicunt, impeditam non
 viuis generis obstaculis, atque vehementer dubiam; ad ea potius respi-
 cere videntur, quae foris incident, atque per rerum, quae nos am-
 biunt, conditionem euitari vix possunt, quam ad ipsam animi nostri
 naturam. Si nullus adhibetur doctrinae delectus, atque friuola cum
 utilibus, falsa cum veris, obscura atque ambigua cum evidentibus,
 aequi arripiantur; si studium impendatur in libros, quorum auctores
 discere debebant, antequam vellent docere, vel prima quaeque sibi ob-
 via, quantumvis indigesta sint, aut corrupta, satis digna iudicarunt,
 quae discentibus proponerent; si doctor adhibetur lucri potius, vel
 aliis cuiuscunque rei, quam boni publici cupidus; si denique ordinis
 atque eius disciplinarum nexus, quo sit ut multae percipi non possint
 ante, quam probe perspectae sint aliae, nulla habeatur ratio: fieri non
 aliter potest, quam ut, quo magis quis hac via progrediatur, eo ma-
 gis a scopo aberret; utque, si forte demum resipiscat, non aliud la-
 boris sui fructum videat, quam quod, si non magis deinceps, attamen
 maiori cum molestia, sibi sit laborandum. Difficulter enim, quibus ad-
 suetii sumus, vincentur: solentque sententiae primum conceptae radices
 agere,

agere, quae oculte serpentes, ubi minime veris, propullulant, messem vitiaturae. Eum autem, qui sibi scientiae principia clara atque evidenter comparat, a quibus probe perspectis, ad reliqua progreditur, quae falsa sunt, a veris, dubia a certis studiose segregans: qui libros a viris intelligentibus cum cura scriptos solos dignos iudicat, qui assiduo studio legantur, reliquos satis habet euoluisse; qui nullam disciplinam adgreditur, cuius perdiscendae adminicula sibi non ante comparauerit, friuolis autem quaestionebus, quae vel circa vocabula sola haerent, vel solui ab ingenio humano nequeunt, aut solutae, nihil adferunt utilitatis, sepe abripi non finit: labore assiduo quidem, non tam aerumnoso, tempore non longo, in earum quoque disciplinarum, quae vulgo habentur pro difficillimis, abdita penetrare posse, si exemplo comprobandum foret, non argumentis aliis, TVO eterer, mi carissime HERMANNE, qui paucis annis, quos impendisti in Mathematica, eos fecisti progressus, quibus non tantum studiosis prodeesse possis, verum, si perrexeris, ipsas quoque, quibus te potissimum mancipasti, disciplinas illustrare atque euehere. Hanc spem apud me alit, quam saepe perspexi, vis ingenii TVI; reliquis faciet haec disputatio: in qua si aliquae sunt partes meae, tota tamen tractatio TVA est. Et poterat TVA mansisse in vniuersum, nisi ad reliquias virtutes TVAS modestia accederet, atque eorum, quorum oculis commentatio TVA occurret, reuerentia, qua motus, meo consilio ut maluisti, quam tibi solus sapere. Macete hoc animo TVO, aestimatissime HERMANNE, fruere laetitia, quam cum in SPLENDIDISSIMOS cognatos TVOS omnes, tum in VENERANDAM potissimum matrem TVAM, foeminam ornatissimam, cumulate confers, semperque ex animi sententia vale. Dabam Halae Cal. Maii, 1772.

HER.

H E R M A N N O S V O
H E R M A N N O S V O

S. D.

GE. FRID. MEIER.

*N*on adeo officiorum meorum ignarus sum, ut te, amice
aestu matissime, ex consuetudine mea clam dimittere possim.
Ita enim per quinque paene annos integros aedium mearum incola an-
te oculos meos versatus es, teque mihi ita adprobasti, ut qui maiori
et oculatiori amore te prosequatur, habeas praeter me omnino nem-
inem. Ex quo tempore mihi innotuisti, ex eo tempore quoque non
potui non magni aestimare ingenium ad mathematicas scientias prae-
cipue natum, studium discendi ardentissimum, mores honestos, pecto-
ris magnanimitatem et cupidum desiderium tandem aliquando eruditio-
nem inter genus humanum propagandi. Iam dies feliciter illuxit,
quo in maius theatrum prodis. Maete virtute tua! Vtere adparatu
eruditio nis, quo animum egregie instruxisti, ad emolumentum acade-
miae nostrae promouendum, et ad bene merendum de iuuentute acade-
mica. Omnia fausta tibi adprecor, et si in posterum non male de-
te meritus fuero, me tui amantissimum amare perge. Vale! De-
di in Fridericiana Regia die 2. Maii 1772.

G 3

AMI

AMICO SVO OPTIMO
LEOPOLDO HERMANNO

S. D.
IEREM. ARONSON
MED. ET CHIR. D.

*Absenti liceat mihi summos, qui in te mox conferentur, in
Philosophia honores gratulari. Nec vero tibi gratulor solum, ve-
rum ipsis quoque honoribus, quibus tam dignum ornare virum hand
saepe contingit. Quid potest enim istorum honorum dignitati magis
aptum, quid accommodatius esse, quam homini decerni, quem VIR
S V M M V S S E G N E R V S non dubitabat optimis adnumerare disci-
pulis, quem commilitones, inter quos nec meum profiteri nomen
poenitet, praceptorum agnouerunt. Specimen iam edis insignis TVAE
doctrinae, non eo, ut plerunque fieri solet, consilio, ut laborum scri-
ptorumque TVORVM facias finem, sed potius initium. Quid enim
a vite nouella certius speratur quam vinum? I, sequere vestigia MA-
GNI NOSTRI PRAECEPTORIS, et Heliconis cacumen breui
profecto attinges. Illo vero, SEGNERO duce, occupato, ne de alto
despicere aliquando deligneris, rogo; forte enim et Aronsonium
TVVM ad radicem laborantem conspicias. Vale meique semper sis
memor. Vale.*

IMA

Mu-

Musarum cultor sophiaeque, HERMANNVS, honosque

Noster, amor, gentis delitiumque suae

Magnus erit naturae interpres, plaudite ciues!

Atque Mathematicus, Philosophumque deus.

Testis adest plenus nitidus suus hicce libellus,

Iudicii plenus, plenus et ingenii.

O superi! Hunc Nostrum seruate, souete; parate:

Illi etiam larga praemia pulcra manu.

In

sui amoris ac obseruantiae

documentum

erga

eruditissimum

libelli huius inauguralis

Auctorem

haec apposuit

I o. N i c. W e i s s e r.

Mit dem ersten der beiden, der Konservatoren
und den anderen, der Monarchen

Wollt' ich nicht, daß du mich auf die Mutter schaust

Wollt' ich nicht, daß du mich auf die Mutter schaust

Und das ist der einzige Friede, den ich will

Und das ist der einzige Friede, den ich will

Und das ist der einzige Friede, den ich will

O Jesu! Ich habe keine Freunde mehr, nur du

O Jesu! Ich habe keine Freunde mehr, nur du

Mein Gott, mein Gott, warum hast du mich verlassen?

Mein Gott, mein Gott, warum hast du mich verlassen?

Mein Gott, mein Gott, warum hast du mich verlassen?

00 A 6312



SK

Richter ✓



COMMENTATIONIS
DE
I N E R T I A
PARS PRIOR

QVAM
AVCTORITATE
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
PRAESIDE

D. IOANNE ANDREA DE SEGNER

SERENISS. AC POTENTISS. REGI A CONSIL. INTIM.
MATHEMAT. AC PHILOS. NATVR. IN ACAD. FRIDERIC.
PROFESSORE PRIMARIO
ACADEM. SCIENT. IMPERIAL. PETROPOLIT. SOCIET. REG.
LOND. ET ACAD. SCIENT. REGIAE BEROL.
SODALI

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS

DIE IIII MAII CICLO CCLXXII

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

LEOPOLD HERMANN

DESSAVIA-ANHALTINVS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

